

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 11

Artikel: Nomothesiaie ecclesiae Christianae ex certis principiis deductae & modeste vindicatae sectio tertia sistens ac probans divnium principum huius nomothesiaie
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394630>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

NOMOTHESIAE ECCLESIAE CHRISTIANAE

Ex certis Principiis deductæ
& modeste vindicatæ

SECTIO TERTIA

Sistens ac probans

Divinum Principium hujus Nomothesiæ.

§. I.

Nomothesiæ Christianæ genuinum ac certum Principium est Auctoritas Dei, speciatim Filii Dei, Res Religionis in Sacris V. & Novi Testamenti revelantis ad credendum, agendum, colendum, sperandum & Ecclesiam regendum.

Juxta Sectionem antecedentem Principium Religionis Christianæ non est ratio, nec auctoritas humana, sive paterna sive magistratus sive ecclesiæ aut Ministrorum Ecclesiæ. Non etiam simplex historia. Quodnam ergo? Auctoritas Dei, speciatim Filii Dei, res Religionis in sacris V. & N. Testamenti revelantis. Qui Religionem Christianam agnoscit, agnoscet quoque Nomothesium sive leges, quibus subjectus conformis vivere debet, adeoque etiam certum Principium sive Legislatorem requisitis ad tantam societatem sufficienter & salutariter regendum instructum. Qui nunc mente sua perpendit naturam Religionis Christianæ, confertque cum ea cuncta, quæ circumferuntur, quæque fingi possunt principia, ut judico, nullum reperiet

riet quod magis ad conscientiam demonstrat ac auctoritas Dei, speciatim Filii Dei. Quod primo probabo ex natura Religionis Christianæ, dein ex sacris.

§. II. *Natura Religionis Christianæ postulat Principium Nomothesiæ divinum.*

Religio Christiana, quæ *Regnum Dei, Cælorum*, dispersum per universum orbem, tradit & inculcat dogmata, mysteria, præcepta, cultum, vaticinia, promissiones, interminationes, regimen & alia divina, vera, sancta: Membra hujus regni varios habent hostes internos, spirituales, etiam inter se pugnant, variis bonis destituuntur ad veram & æternam salutem. E. postulat Principium divinum, legislatorem, dominum & protectorem divinum. Aliàs non esset *Regnum Dei, Cælorum*. Uti in regno terrestri regnat Rex terræ, ac leges fert. Sic in *Regno Dei, Cælorum*, regnat Deus, Dominus cælestis. Dein Religio Christiana dispersa est per universum orbem, Europam non solum, sed et Asiam, Africam & Americam, testante experientia. E. Legislatores, Dominus, Judex Ecclesiæ postulatur omnipræsens, qui vero solus verus Deus. Finge, caput, legislatorem, dominum Ecclesiæ humanum sedentem in extremo termino terræ, Ecclesias vero particulares in opposito extremo. Leges, responsa, bullæ vix post duos tresve annos ad has deferri possent. Finge easdem intercipi vel cum navibus in profundum mare mergi. Vel finge post tot annos tandem ad locum destinatum pervenire, sed partes contrarias de vero sensu dissidere, appellare ad judicem melius informandum. Requiritur

runtur minimum quinque vel sex anni, antequam nova responsa eo perferantur. Quam male consultum esset Ecclesiæ Dei? Speciatim in casibus arduis, salutem animarum concernentibus, controversiis maximi momenti! Quot in terra caussa nondum decisa moriuntur? Non licet dicere, fictos esse casus: Non solum dabiles sunt, sed toties dantur. Dices: Dantur viri experti, qui interea temporis prudenter consulunt. Bene consulant etiam sequenti tempore. Ecclesia non indiget capite remotissimo, quod vix post plures annos eam aliquo responso instruere valet. Quam felix vero Ecclesia, quæ dominum jugiter præsentem habet! Insuper Religio Christiana tenet dogmata, speciatim mysteria, præcepta morum. E. poscitur Doctor, Præceptor sapientissimus, verax, infallibilis, sapientissimus, qualis solus verus Deus. Omnes homines mendaces, fallaces, ipsi polluti. Caro & sanguis mysteria non revelant, cultus in Religione Christiana, qui *ἑλωθρησκεία* est, damnatur, requiritur divinus. E. a solo Deo institutus, vaticinia quæ in sacris exstant, Deum omniscium postulant. Nemo hominum futura prædicere potest. Bona hujus Religionis sunt æterna, spiritualia, cœlestia, mala itidem æterna, spiritualia, infernalialia. Talia dependent a solo vero Deo omnissufficiente, omnipotente. Solus Deus Creator, Conservator, Gubernator, Redemptor hominum, potestatem & potentiam habet per spiritum & verbum ad Religionem Christianam vocandi, colligendi, regendi, puniendi. Homo in hominem, frater in fratrem neque jus neque potentiam habet. Unde auctoritas humana, ecclesiastica varie laborat, frustra præcipit conscientiæ. Hypocrita, Politicus, man-

data

data ejus in sinu ridento, ore probat. Si quæ ejus vis, carnalis est, non ex cælo. Si hinc Brachium seculare sententiam ab Ecclesia latam exequi renuit, fulmen est brutum. Vel Rex mutatus Hæreticis favet. Et quid si caput Ecclesiæ moritur? Si interregnum longius durat? Si factiones duo vel tria capita eligunt, quod haud semel factum? Talia haud timenda sunt, si Ecclesia veneratur caput divinum, æternum, independens, omnipotens.

§. III. *Sacræ quoque literæ poscunt Principium Nomothesiæ Christianæ divinum, quod est Verbum Dei, idque unicum.*

Clarissime Petrus II. Epist. I: 19. *Etiam habemus Verbum Propheticum firmitus, præclare attendentes agitis ad illud, tanquam lucernam apparentem in loco caliginoso &c.* ad finem cap. Apostolus morti proximus, constituerat Christianos in Religione Christiana confirmare, id quod facit removendo falsum principium, *fabulas, historias, traditiones cum specie sapientiæ excogitatas* v. 16. ponendo vero vera Principia, doctrinam scil. Christi a Patre ex cælis cum gloria præceptam, ceu cujus ipse cum aliis Apostolis oculatus & auritus testis erat v. 16, 6, 17. & *Verbum Propheticum*, per quod in genere intelligimus Scripturam V. Testamenti, in specie illam partem, quæ futura prædicit, quæque per Christum jam impleta erat. Unde notanter dicitur in comparatione *Verbum firmitus* doctrina Christi, in se æque firma ac doctrina Mosis & Prophetarum. Nihilominus hæc vocatur *firmior*, ceu quæ per tot secula in Ecclesia Judai-

Judaica jam divina habita, quæ quasi fundamentum doctrinæ N. Testamenti. Ergo Petrus pro principio, fundamento, norma Religionis Christianæ agnoscit Verbum Dei, doctrinam Christi & Prophetarum. Commendat & laudat Christianos gregarios, (minime vero reprehendit), quod attendant ad verbum Propheticum, dogmata itaque Christiana ex eo petant, probent, examinent, contraria rejiciant. Docet insuper illos hunc laborem vere & certo præstare posse, quippe verbum Propheticum *est lucerna apparens in loco caliginoso*. Noctu lucente candela video, discerno, quæ ante me sunt. Si vero auctoritas Ecclesiæ aut ministrorum, naturam principii, fundamenti, judicis in Religione Christiana haberet, Petrus sine dubio id monuisset, imo vi muneris monere debuisset, tanto magis, quia ipsi res erat cum Christianis: Velim probe sciatis penes Ecclesiam, ejus summos ministros, me speciatim pontificem non nisi stare cum auctoritate capita Religionis Christianæ determinare, controversias decidere. Vos Laici hæc non intelligitis, verbum Dei obscurum est: Imprudenter & male agitis scrutantes Scripturas. Sane Petrus vel Romæ non fuit aut successores ejus alio spiritu aguntur, eoque contrario. Dein II. Tim. III: 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, elenchum, correctionem, castigationem, quæ est in justitia*. Scopus, nexus & verba hæc fortiter thesin nostram adstruunt. Apostolus prædicit corrupta posteriora tempora in vita, speciatim etiam in doctrina v. 7-10. subjicit consilium vincendi seductores, quod est doctrina & vita Christiana v. 10, 14. illa maxime quæ continetur sacra Scriptura ceu quæ potentiam habet

Lecto-

Lectores, Auditores sapientes reddendi ad salutem, ipsos quoque pueros v. 15. quæque a Deo inspirata utilis est ad docendum veritates, refellendum errores, corrigendum pravos mores, instituendum in bonis moribus vel officiis erga Deum, proximum & seipsum v. 16. cum præclaro effectu v. 17. Quid nunc desideratur in Scriptura? Est Doctor veritatis & pietatis: est Judex controversiarum & Corrector pravorum morum. Non est litera mortua, sed potens etiam transitive, ceu quæ *δύναμις* habet sapientiam ad salutem fidelibus conferendi, quæque viros Dei ad omne bonum opus perfectos constituit. Cujus usus in posterioribus corruptis seculis, quæ vero nunc vivimus, ad resistendum seductoribus, prorsus egregius. Ergo non necessaria auctoritas Ecclesiæ aut ministrorum in dogmatibus, præceptis, cultu: Potentiam & usus dictos Scriptura abunde exerit apud quoslibet fideles Christianos. Ipsi pueri ab ineunte ætate sacris imbuti commoda ex ea accipiunt, certe valde suspecta est hoc nostro tempore Ecclesia, quæ consilio Pauli contrarium fert præceptum de Scriptura non legenda, de autoritate Ecclesiæ in rebus Religionis simpliciter veneranda. Insuper *Es. VIII: 20. Ad legem & testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, certe non erit illi aurora.* *Συνάφεια* lucem & robur his verbis dat. Ecclesiæ promittitur Doctor Messias cum Apostolis v. 18. Spiritus S. vero prævidit varii generis seductores, populum Dei ex proprio spiritu docentes ac seducentes. Quare monet ab horum seductione, commendatque *quærere Deum suum* v. 19. Jam subjicit modum Deum quærendi: *Ad legem & testimonium.* Lex & testimonium Dei; Deus in lege &

testimonio, vel quod idem est, in Scriptura S. loquitur, testatur, docet, præcipit. Ergo qui attendit ad legem & testimonium, ille Deum suum in Religionis rebus quærit conf. Joh. V: 39. Hoc officium sub gravi necessitate imponitur. Quod si non dixerint secundum verbum hoc, non erit illi aurora. E. Principium, norma rerum Religionis solum Verbum Dei. Cum hoc conjungitur aurora sive illuminatio Spiritus S., sine Verbo nulla spes illuminationis Spiritus S. datur. Quod ipsum docet Petrus loco supra citato II. Ep. I: 19.

§. IV. *Sacræ Literæ insuper specialius docent principium hoc esse Filium Dei. A sola auctoritate Filii Dei dependere res Religionis Christianæ.*

Bene hæc cohærent cum antecedentibus. Jesus Christus enim est verus Deus, Filius Dei vivi, a Patre ex pacto singulariter institutus & datus unius Ecclesiæ Christianæ Dominus & caput, Act. II: 30. Eph. I: 22. Quando igitur in genere principium Ecclesiæ auctoritativum dicitur Verbum Dei; commode dicitur in specie auctoritas Filii Dei summi & unici Domini ac capitis Ecclesiæ. Probabimus autem primo titulis, tum testimoniis Scripturæ; denique inductione eorum, quæ Religionem Christianam constituunt, & ultimo similitudinibus sacris.

§. V. *Jesus Christus Filius Dei solus & semper ἐν δὲ ὕμῃν gestat titulos, qui inferunt esse illum principium Religionis Christianæ.*

Tales tituli sunt α] Caput Eph. I: 22. IV: 15. Coloss. II: 19. Capitis instar conjunctus cum corpore

pore & membris, jugiter influit, prospicit corpori, regit & defendit illud. Corpus absque capite mortuum est. Talia sunt in capite naturali. E. multo magis in supernaturali, divino. Titulus hic *Caput* Filio Dei privus est: Gloriosus hic titulus alteri non datur. Corpus duo capita non haberet: Effet alias monstruosum. Et cui usui caput vicarium? Caput hoc divinum est Coloss. II: 9. adeoque omnipræsens, omniscium, omnipotens, infinitum, independens, plenum gratia & veritate, imo superabundans, totum corpus implens Joh. I: 14, 16. Coloss. II: 10. Eph. I: 22, 23.

✠
✠
✠

β] Λόγος *Ratio*, sapientia divina, æterna, Creator omnium, in quo vita, lux vera, illuminans omnem hominem in mundum venientem. Joh. I: 1, 3, 4, 9. Est ergo magna δύναμις in titulo Λόγος. Alia longe ἔμφασις, quam λόγον ἔχων, λογικὸς. Ipsa sapientia divina originaria scaturiens, effluens in omnem hominem. Talis est ab æterno; et lammum est, manetque in æternum. Non solum in cœlo, sed & in mundo, Ecclesia militante. Hic titulus soli Filio Dei proprius, excludit aliud principium Ecclesiæ auctoritativum, ceu non necessarium. Maximi Ministri in Ecclesia non participant de hac gloria: Quantus Minister Johannes Baptista! Sed non erat lux, missus tantum, ut testaretur de Luce v. 7, 8.

γ] Διδάσκαλος. *Doctōr*, qui cum plena auctoritate docet. Qui Doctōr & Dominus simul. *Vocatisme Doctorem & Dominum*: *Præclare dicitis etenim sumus Doctōr & Dominus vester* Joh. XIII: 13. Quo sensu non alius datur. Quod ipsum postulat titulus *Synonimus*.

Matth:
27:

δ] Καθηγητής. *Doctor, Dux. Unus est enim Doctor vester Christus, vos vero omnes estis fratres* γ. 8, 10. Exiliori quidem sensu dantur alii *Doctores*, sed qui simul servi, missi a summo Doctore. I. Tim. II: 7. II. Cor. IV: 5. Eph. IV: 11.

ε] Κύριος. *Dominus Ecclesiæ, qui in Ecclesiam, ceu populum suum, cum omni auctoritate dominatur, quippe ab ipso Patre Dominus constitutus* Act. II: 36. isque εἰς *unicus* I. Cor. VIII: 6. exclusis aliis omnibus. Inter Ministros Christi eminent Apostoli, Petrus, Paulus, reliqui, sed hi non sunt domini fidei II. Cor. I: 24. Petrus nonnisi fuerat servus, II. Petr. I: 1. Paulus servus, Rom. I: 1. Ad hoc enim Christus & mortuus est & surrexit & revixit, ut dominetur in mortuos & vivos. Rom. XIV: 9.

ζ] חכמה, *Sapientia divina, hypostatica, æterna, originaria, Sapientiam communicans* Prov. VIII: - - IX: 1. I. Cor. I: 30. quæ de Angelo vel Propheta prædicari nequit. Dantur חכמים *Sapientes*, sed qui ipsi sapientiam acceperunt, aliis dare nequeunt I. Reg. II: 9. III: 12. Paus Sapiens Auditoribus suis Sapientiam dare haud poterat, quia genibus flexis abs Deo pro iis petierat Eph. I: 16, 17. Sapienter & hodie Ministri se deprimunt coram divina Sapientia, eamque pro se & auditoribus petunt: conf. Jac. I: 5. Quod vero in fide petendum est. In fide vero petere nequit is, qui opinatur Sapientiam in cœlis inclusam esse, regere Ecclesiam per vicarium caput.

η] נביא *Propheta, Mosi Prophetæ maximo similis* Deut. XVIII: 18. imo eo major, utpote Moses servus tantum, at Christus Dominus Hebr. III: 5. qui loquitur *Verba Dei*, quique a toto populo adeo-

que

que ipsis Ministris audiendus v. 19. **Noli dicere:** plures dari Prophetas. Dantur, sed non ejusdem classis cum hoc Propheta. Unde promittitur in singulari *Propheta*, non *Prophetae*. Promissio restringitur ad solum Christum Act. III: 22. Christus tantus Propheta, ut reliquos ipse mittat Eph. IV: 12. Hi simpliciter tenentur dependere ab ejus ore. Omnis anima, quæ non audiverit verba hujus Prophetæ exterminabitur Act. III: 23. Ergo etiam Minister Ecclesiæ, episcopus, quicumque ille **וְאִישׁ** *Vir* gravis in Ecclesia Deut. XVIII: 19 Munus ejus Propheticum non cessat, sed manet usque ad consummationem seculi.

9] **וְיָ** *Testis*. Es. LV: 4. *Ecce dedi illum* (scil. Messiam) *Testem Nationum*, qui de rebus cœlestibus cum divina auctoritate testatur, cujus Testimoniis simpliciter fides est habenda. Gloria ejus cognoscitur, tum quia unus tantum, tum quia omnium Nationum Testis est. Quæ gloria in Testes servos non cadit. Hinc Apoc. III: 14. *Hæc dicit Amen ille, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινός.* *Testis ille, fidus ille & verus ille*, qui parem testem non habet: *Egò adhuc natus sum & adhuc in mundum veni ut testimonium darem veritati.* Alii Testes dicuntur quia hujus testimonium acceperunt, assignarunt, testati sunt vitam pro eo ponentes.

1] **מְצוּה** *Præceptor*. Es. LV: 4. Etiam dedo Messiam *Præceptorem Nationum*, qui solus cum auctoritate divina Nationibus præcipit credenda, agenda. Unde mittens Apostolos ad Nationes mundi mandat: *Docete baptizatos ex omni gente, servare omnia, quæ ego vobis præcepi.* Apostoli non erant Præceptores, sed ipsi præcepta acceperant, quæ, & non alia, Nationibus præcipere debuerant. An hodie

hæc dignitas Filio Dei ablata? An Ministri Ecclesie majorem auctoritatem habent, quam Apostoli? certe non.

κ] צַיִן *Consiliarius*. Inter titulos Messie legitur Es. IX: 5. Illustris *Consiliarius*, qui consilia dat plenus sapientia profunda. Præcipit quoque, sed ita ut præcepta sint consilia sapientia, salutifera, quæ se ad conscientiam demonstrant. Non pro omnipotentia cogit ad obsequium, sed sapienter, fortiter consulit. Unde qui consilium eius rejiciunt, eos juxta consilium cordis proprium ire finit. Matth. XVI: 24. Joh. VI: 66, 67. Consilarii in rebus Ecclesie pares Filio Dei non dantur. Qualis titulus *Consiliarius*, Filio Dei dignus; si etiam alii dentur? Unde Sapientia æterna. *Mibi consilium; ego prudentia*. Prov. VIII: 14. Apoc. III: 18. *Consulo tibi* episcopo Laodicensi. conf. Apoc. I: 8.

λ] מָשִׁחַ *Unctus*. Titulus Messie *Psalms*. II: 2. *Unctus* non solum Rex, Pontifex, sed etiam Propheta. Esajas unctiorem Messie primo refert ad munus ejus Propheticum c. LXI: 1. dantur etiam alii *uncti*, sed Ministri I. Chron. XVI: 22. fideles gregarii, I. Joh. II: 27. qui vero omnes unctiorem debent Christo Spiritum S. acquirenti, effundenti Joh. XVI: 7. Act. II. 33. Ipse Spiritum S. Apostolis dedit Joh. XX: 22. Ergo Christus solus est cum *δυναμις* *Messias unctus Propheta & Doctor* Ecclesie, speciatim N. Testamenti. Ecclesia, Ministerium Ecclesie, nihil proprio spiritu determinare, præcipere valet, non nisi Spiritu Christi. Joh. XX: 21-24. Si remitteret aut detineret peccata ex affectu carnis, mundi, in cælo non rata haberetur remissio aut detentio. Episcopus, qui sibi videtur *unctus*, auctoritative cum Christiano in rebus
Reli-

Religionis agere non valet. Nam hic *habet unguentum & non opus ei, ut cum auctoritate doceatur.*

I. Joh. II: 27.

Ex titulis his productis & expositis firmiter concludimus, Jesum Christum Filium Dei esse principium Religionis Christianæ & omnium ejus capitum, idque unicum, constans, speciatim in tota Ecclesia militante. Nam ille solus est Caput, Λόγος, Doctor, Dominus, Sapiaentia, Propheta, Testis, Præceptor, Consiliarius, Messias. Non sunt duo vel plures, Ecclesiæ Capita, Λόγοι, Doctores, Domini, Sapiaentiæ, Prophetæ, Testes, Præceptores, Consiliarii, Messia, cum absoluta auctoritate in Ecclesia Christiana, sensu excellenti. Unusquisque titulus assertum nostrum probat: Multo magis omnes conjunctim. Est quidem alius alio fortior, sed nulli robur probationis deest, dant & accipiunt a se invicem lucem & robur.

VII. *Testimonia Scripturæ confirmant Jesum Christum Filium Dei esse unicum, constans Principium Religionis Christianæ.*

Ex his *primum* est Patris de Filio Matth. XVII: 5. *Ecce! vox ex cælo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo acquievi. Audite eum.* Vim argumenti clarius cognoscemus attendentes ad occasionem, mandatum, mandantem, testes & alias notabiles circumstantias. Occasio latet in cap. XVI, ubi Matthæus refert Apostolos, speciatim Petrum, noluisse credere Doctrinæ Christi de statibus ejus, credidisse vero Doctrinæ Ecclesiæ. Sextiduo finito mandatum divinum datur: *Hunc, quem audire nolulistis, audite, recipite ejus doctrinam,*

præcepta , cultum , vaticinia cum omni submissione , fide & obedientia. Mandatum hoc tulit ipse Pater , qui plenum jus præcipiendi habet , quique mandatum suum modo perhibuit divino , quippe corroboravit id miraculis , visibili & audibili , nube lucida supernaturali in summo cælo , voce ex cælo (in quo homines materiam decipiendi non habent , Matth. XVI: 1. Joh. VI: 31.) Commendavit insuper gravibus rationibus. Ille , qui audiendus , est Filius Dei , isque dilectus & in quo Pater acquiescit. Testes erant tres Apostoli , fide digni , antea increduli. Illi ipsi , qui noluerunt Christum audire , vi divina coacti fidem ei habuerunt. Viderant summos servos , Mosen & Eliam cum Christo colloquentes de hoc ipso capite , quod antea rejecerant. Vox Patris , nubes lucida , Apostolos in terram prostraverant , quos vero potens Filii Dei manus erexerat. v. Matth. XVII: 1 - 9. Luc. IX: 30 , 31. Sequitur ergo ex dictis Filium Dei in rebus Religionis esse audiendum ceu qui characteres *Doctoris* a Deo dati plene possidet , isque solus. *Dices : Etiam alii doctores sunt audiendi.* R. Vox cœlestis præcipit : *Hunc audite* , non alium. Si alii , ceu fidi servi in nomine Domini loquuntur , tum demum illos audimus , quando in examine eos reperimus Doctrinæ Domini inhærentes. Alios non audimus. *Alterum* ipsius Domini Jesu Christi de se testimonium Matth. XXVIII: 18 - f. Jesus Christus verbis his , quæ proxime ante abitum in cœlum dicta sunt , sibi soli attribuit jus & potestatem Ecclesiæ præcipiendi. *Docete baptizatos servare omnia , QUÆ EGO PRÆCEPI VOBIS.* Compellat summos Ministros , Apostolos , Petrum & reliquos pariter tractat,

tractat, quibus non aliud adscribit jus quam docendi & quidem omnia ea, quæ ipse ceu Dominus cum auctoritate eis præcepit. Unde ait: *Mihi data est omnis potestas in cælo & terra.* Ergo non solum in Ecclesia triumphante in cælo, sed etiam militante in terra. Alius aliquis ἐξουσίαν non habet. Hinc potestate hac utitur mittens sine ulla distinctione Apostolos ceu servos ad Evangelium Christi prædicandum. Præoccupat objectionem: *Tu nos nunc relinquis. Petis altissimum cælum.* Respondit. *Ecce, probe adverte; Noli ita cogitare. Ego vobiscum sum per omnes Dies usque ad consummationem seculi.* Non ergo Ecclesia indiget vicario, quippe semper præsens est. Quid clarius? Christus solus potestatem habet Ecclesiam suam in terra dogmatibus, præceptis, docendi, regendi. Habet & exercet semper. Non alius quis habet: Apostoli sunt Servi Jesu Christi, strictè adstricti ad Præcepta Christi. *Quæ ego vobis præcepi.* Profecto si ullibi Dominus Ecclesiæ materiam habuisset Hierarchiam Ecclesiasticam instituendi, declarandi, habuisset proficiscens in cælum. At nullum datur vestigium; Contrarium constat clarissimis verbis. *Tertium testimonium Spiritus S. de Jesu Christo Filio Dei, ceu principio Ecclesiæ Christianæ, quod legitur Joh. XVI: 13 - 16. Spiritus veritatis non A SEMETIPSO loquetur, sed quæ audit, loquetur & annuntiabit vobis. Ille me glorificabit. Nam EX MEO accipiet & annuntiabit vobis. Omnia, quæ Pater habet, mea sunt. Quare dixi, quod ex meo accepturus & annuntiaturus vobis.* Quantum Doctor Ecclesiæ Spiritus S. sit, Ecclesia Christiana credit & admiratur. Verax Testis Mysterium profundissimum his verbis proponit. *Spiritus*

hic non loquetur A SEMETIPSO, sed quæcunque audiet, loquetur. Quia tres testes unum sunt, Spiritus S. non A SEMETIPSO loquitur, quippe Spiritus Patris & Filii, loquitur adeoque, quæ ex Patre & Filio habet. Dein *me glorificabit*. Gloriam nominis mei Ecclesiæ singulariter annuntiabit, nam *EX MEO accipiet*. Gloriosa, quæ Spiritus S. de Immanuele docet, accipit a Christo quod repetitur v. 15. Sequitur ergo ex dictis Jesum Christum modo arcano esse Principium Religionis Christianæ, nam ipse Spiritus S.; Divinus Doctor Evangelica ex Filio accipit. Quanta vi hinc fluit, Ecclesiam, Ministros Ecclesiæ vel Vicarium hominem non esse Principium Caputum Religionis Christianæ. Ipse Spiritus S. non loquitur E SEMETIPSO. Quæcunque loquitur, accipit a Christo. Qua ergo ratione dici potest, Ecclesiam, Consilia, Pontificem cum propria auctoritate res Religionis Christianæ tradere, cognoscere, interpretari, decidere, ut alii omnes ab ea simpliciter dependere teneantur: Vel an vicarius aut quicumque alius jactare valet, se non ex se ipso loqui, sed ex Christo sumere. Si etiam ita se haberet, tum Christus non abest, vicario non indiget. Omnes veri Christiani, veri Ministri ex Christo sumunt. *Quartum* Testimonium Apostolorum de Jesu Christo Principio fidei Christianæ. Quam frequentissimum, quod Apostoli Jesum *Dominum*, se vero *Servos*, *Legatos* appellent. Sine dubio vere. In quo consistit *Dominium*, *Servitus*, *Dignitas Legati*? Dominus dominatur. Servi serviunt, fide agunt ex præscripto. Legati strictissime dependent a legantibus. Ergo Jesus solus dominatur in regno suo, præcipit credenda, agenda, colenda

colenda, speranda. Apostoli vero simpliciter serviunt, agunt ex mandato. Si ipsi præciperent, auctoritative deciderent, non essent servi: Unde etiam ipsi profitentur. *Non dominamur fidei vestrae* 2. Cor. I: 2f. *Non nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum, Κύριον, Dominum, nos ipsos vero servos vestros propter Jesum* Rom. XV: 18. *Non ausus sum loqui quidquam eorum, quæ Christus per me non effecit.* Audacia ergo est quidquam ex se in rebus fidei præcipere, Christianos cogere ad præcepta sua probandum, ceu divina profitendum, Dominium Jesu negare, se fidelibus tanquam Dominum obtrudere. Apostoli erant sine controversia summi Ministri Jesu Christi, attamen servos se habuerant, præstiterant, serviverant illo tempore, quo Christus terram jam visibiliter reliquerat. Non cogitaverant se absente Domino vicarium Dominium gerere. Perrexerant servire & credere Dominum invisibiliter adesse, dominari I. Cor. V: 4. *Quintum.* Inductio partium, quæ Religionem Christianam constituunt, quæque omnes ab Auctoritate Filii Dei dependent, non vero ab Auctoritate Ecclesiæ aut Ministrorum. Tales sunt *Dogmata, Myseria*, quæ Filius Dei revelat, cui vult Matth. XI: 27. Is solus habet verba vitæ æternæ Joh. VI: 68. Solus audiendus, speciatim in controversiis Matth. XVII: 5. quippe is *unicus Doctor*, Matth. XXIII: 8, 10. Ecclesia ergo constans ex hominibus non habet jus cum auctoritate docendi, decidendi. Ejusmodi doctrina esset humana, ejus Ecclesiæ, quæ in sacris male audit, Matth. XV: 9. quæque unicum Dominum Christi negat Coloss. II: 6-f. Dein *præcepta* moralia, evangelica, interna, spiritualia, qualia pro-

prostant Matth. V, VI, VII, XVI: 24. Rom. VII: 12. qualia a solo Domino Ecclesiae præcipiuntur Matth. XXVIII: 20. Si Ecclesia, ejus Ministri præcipiunt in nomine Christi ea, quæ Christus præcepit, præcepta sunt honoranda, præstanda. Non item, si præcipiunt propria auctoritate, multo minus si præcepta Ecclesiae tollunt præcepta Dei, Matth. XV: 6. Coloss. II: 20-f. Insuper *Cultus internus, externus*. Dominus præscribit rationem colendi, non vero permittit, ut subditi eum colant, qua ipsi volunt ratione. Talis cultus est *ἰδελοθρησκεία*, quæ in sacris rejicitur. Coloss. II: 23. Unde Christus præscripsit cultum internum Joh. IV: 24. externum Baptismum & S. Cœnam Matth. XXVI: 26-27. XXVIII: 19. Essentialia sunt sancte tenenda. Quare Paulus Ecclesiam Corinthiacam reprehendit, recedentem a prima Cœna, Prototypo, revocavitque ad *ἀρχὴν*, I. Cor. XI: 23. Denique *vaticinia* de fatiis mundi & Ecclesiae, tum in terra, tum in cœlo postulant divinum Principium. Hominum nemo ex se futura prædicere valet, imo nequidem cum auctoritate interpretari, ceu destitutus lumine prophetico ad prævidendum & certo explicandum. Ecclesiae partibus deditæ communiter sibi favent. Tandem *promissiones & interminationes* honorum, malorum, æternorum, divinorum, spiritualium, quæ vero Ecclesiae frœna, calcaria, munimenta sunt. Tales promissiones, interminationes solius Dei sunt in promittendo, minando, conferendo, infligendo. Promissiones, interminationes, bonorum, malorum, corporalium, terrestrium sunt regnorum hujus seculi. Ultimo *ratio Ecclesiam colligendi, regendi, disciplinam ecclesiasticam*

sticam exercendi. Collectio Ecclesiæ instituitur Evangelium prædicando, ingentia beneficia divina respicientibus, credentibus, pie viventibus in nomine Christi promittendo, illos, qui de veritate convicti sunt, & in Ecclesiam lubenter recipi volunt, admittendo. Recepti pari modo Verbo, Sacramentis & Spiritu reguntur, si qui verbum Evangelii rejiciunt, erroribus & vita scelerata Ecclesiam offendunt & moniti non desistunt, in nomine Christi, observatis gradibus, reprehenduntur, a privilegiis Ecclesiæ suspenduntur, tandem prorsus excommunicantur. Hæc omnia sine fraude, affectibus carnalibus, brachio seculari unice juxta Verbum Dei in nomine Jesu Christi, armis spiritualibus, fide & precibus sincere suscipiuntur, aguntur, prout ratio Regni Cælorum, exemplum Domini Jesu Christi, leges ejus & præces primitivæ Ecclesiæ poscunt. Omnis coactio, carceres, relegationes, mulctæ pecuniariæ, multo magis violenta supplicia abesse debent. *Sextum.* Similitudines sacræ, sub quibus Ecclesia proponitur, hoc ipsum poscunt. Similitudines vero sunt *Ovile* Joh. X: 16. *Exercitus*, *Militia* 2. Cor. X: 4. *Navis* Matth. VIII: 24. *Domus* 1. Tim. III: 15. *Civitas* Apoc. III: 12. *Regnum* Marc. I: 15. In ovili est unus Pastor. In exercitu unus dux. In navi unus gubernator. In domo unus Dominus, Pater familias. In civitate unus Consul. In Regno unus Rex. Quod nunc probe attendendum. Pastor ille unus est Jehova, Filius Dei Psalm. XXIII. 1. Joh. X: 11. Ezech. XXXIV: 23. Dux unus est idem Filius Dei sedens ad dextram Patris Heb. XII: 2. Act. V: 31. Gubernator unus est Dominus maris & ventorum Matth. VIII: 27. Pater unus est,
Pater

Pater æternitatis Matth. XXIII: 9. Jes. IX: 5. Dominus domus Dei unus Hebr. III: 5, 6. I. Tim. III: 15. Consul unus vel summus magistratus civitatis Dei solus Filius Dei est, Hebr. XII: 22, 23. Jes. IX: 5. Denique Rex ille unus est Rex Regum, Apoc. XIX: 16. Unde firmiter sequitur illos, qui stant pro Hierarchia Ecclesiastica ex his similitudinibus nullum prorsus hypotheseos suæ fundamentum sumere posse, (uti sumere solent), quin contrarium ex iis probari. Etenim Pastor, Dux, Rex est solus Deus, Filius Dei. E. oves, milites, navis, domus, civitas, regnum dependent a voluntate, regimine Dei, Filii Dei. *Dices: Similitudines has inferre Hierarchiam Ecclesiasticam; Pastores, Duces, Gubernatores, Patres familias, Consules, Reges esse Ministros Ecclesiæ, Episcopos &c. Has relationes esse honorificas Doctoribus & Auditoribus Christianis v. Dissert. cit. p. 27.* R. Sed quo jure? Quibus solidis argumentis? Periculosum est ex similitudinibus non in nexu, juxta substratam materiam spectatis, argumentari ludente phantasia nonnisi & honori suo velificari velle. Solæ similitudines, comparationes nihil probant, aptæ, vel potius ineptæ, sunt ad contrarios sensus fingendum. Si similitudines allatæ referendæ ad Hierarchiam Ecclesiasticam ob majorem honorem, rectius referuntur ad Hierarchiam divinam, cœlestem, ceu qua nihil gloriosius, potentius ad honorem, robur, solatium & salutem Ecclesiæ Christianæ. Tanto magis, quia Verbum Dei præit, & clarissime testatur (ut ex testimoniis allegatis constat) Deum esse Pastorem, Ducem, Gubernatorem, Dominum, Consulem & Regem Ecclesiæ *ἢ ὑπάμεν* unicum, omnipræsentem, omniscium, omnipotentem, infallibilem, æter-

æternum, independentem. Supra modum addi-
ctus hypothefi Hierarchiæ Ecclesiasticæ non tamen
audebit negare, gloriosa hæc in facris de Deo, Filio
Dei in Jefu Chrifto judicari. Nec audebit negare,
Hierarchiam divinam, cœleftem longiffime fupere
Hierarchiam ecclesiasticam, terreftrem, ex
hominibus varie laborantibus constantem. Quæ
ergo ratio quod illam, in Sacris fundatam præte-
ream, negligam, negem; caput, in quo omnis
plenitudo divinitatis corporaliter habibat, non fir-
miter teneam: adhæream vero capiti, quod ne-
quidem fibi prospicere potefit expositumque omni-
bus miseris fatis, quibus homines viliffimi, fi ad
essentialia attendis. Terribile ejus robur tantum
confifit in Brachio fecolari, quod etiam Eccle-
fiæ Turcicæ, Ethnicæ poffident. Regnum Dei
confifit ἐν δυνάμει fpirituale, divina. Accedit quod
quædam fimilitudines prorfus non quadrent in
Hierarchiam ecclesiasticam; Aliæ fensu exili. Non
quadrant. Miniſtri Ecclefiæ non funt reges vifibiles
in regno vifibili: Servi funt, fervitium, quod
fide præftatur, eorum maxima eft gloria Matth.
XX: 22 - 29. *Dices: funt tamen reges fpirituales.*
✻. Optime; fed tales quoque funt laici. Nemo
ægre feret poteftatem Hierarchiæ fpiritualem. Sed
experimentum det Chrifti e fe loquentis, Apofto-
lorum, fpeciatim Pauli inftar 2. Cor. XII: 3.
Abſtineat ab armis mundanis, carnalibus. Nec
Miniſtri Ecclefiæ funt *Domini domus Dei.* *Mofes,*
quantus vir! fidus erat in tota domo Dei TANQUAM
FAMULUS. *Chriftus vero tanquam Filius fuper do-*
num fuam Hebr. III. Nec gubernatores navis
Ecclefiæ a fluctibus & procellis diaboli, dæmo-
num, mundi circumagitatæ. Non minor quam
divina potentia, fapientia poſcitur ad navim Ec-
clefiæ

13
 clesiae inter tot & tantos fluctus, procellas regendum, conservandum & ad portum feliciter ducendum. Profecto si gubernator Ecclesiae navim suam per brevissimum tempus non gubernaret, gubernandam vero relinqueret Petro vel putatitiis successoribus ejus, mox alte clamarent: *Domine! Salva nos. Perimus.* Matth. VIII: 25. Apostoli periti nautae haud pares erant navi naturali regendae. Quanto minus sufficerent Ecclesiae in mari mundano gubernandae, etiam summi ac numero plurimi Ministri. Deus solus in medio navis rector est Psal. XLVI: 2-7. Nec denique duces sunt exercitus Dei. *Jehova Vir Bellator. Jehova Nomen ejus* Exod. XV: 2. Cantat humilis Moses nec sibi gloriam dat. Ministri pastores quidem audiunt, sed subordinati, dependentes semper & in omnibus a Pastore Jehova, principe pastorum. Psal. XXIII: 1. 1. Petr. V: 4. Ephes. IV: 11, 12. Act. XX: 28.

Atque ita, ut existimo, fortiter probavi Principium Nomothesis Christianae divinum: Poscit enim natura Ecclesiae, quae Regnum Dei dispersum per universum orbem, qualis postulat Legislatorem, Interpretem, Judicem spirituales, omnipraesentem, omniscium, omnipotentem, sanctum, sapientem, infallibilem, plenum gratia, & ut paucis dicam, divinum. Poscit dein clarissime Verbum Dei tum in genere 2. Petr. I: 19. 2. Tim. III: 16. Esaj. VIII: 20. tum in specie ob titulos, quos Scriptura Filio Dei attribuit, Testimonia Patris, Filii, Spiritus S., Apostolorum hoc de themate, inductionem partium, quae Religionem Christianam constituunt, similitudines. Finio hanc sectionem cum voto Ecclesiae, Jes. XXXIII: 22.

*Jehova est Judex noster. Jehova Legislator noster.
 Jehova Rex noster. Hic salvabit nos.*